



# Disputatio juridica inauguralis de pactis inter emptorem & venditorem initis

<https://hdl.handle.net/1874/341846>

18

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AVGVSTINALIS,  
DE  
Pactis inter Emptorem & Ven-  
ditorem initis,

QVAM  
FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in utroque JURE honoribus, & Privilegiis ritè;  
ac legitimè consequendis,

Publico Examini subjicit.

ARNOLDUS THIELENUS, Goesa Zelandus.

Ad diem Septemb. loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo lcc Lxxxvi.

10

DISPUTATOIO IURIDICV

• VE - 38 -

**P A T R I Æ,**  
**P A R E N T I,**  
**P RÆ C E P T O R I B U S**  
**S A C R U M.**



ULTRAJICCI.

ex Officis ARANICISCI HANLONI, Accesione  
G. D. B. 1752.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
Pactis inter Emptorem &  
Venditorem initis.

CAPUT PRIMUM,  
DE  
PACTIS IN GENERE.



Um nemo mortalium sibi uni sufficere possit,  
sed alter alterius ope indigeat, facile natura om-  
nes in societatem traxit, ad cuius conservatio-  
nem nihil magis necessarium est, quam ut quis-  
que fidem alteri datam servet, atque stet pro-  
missis pactisque conventis.

Pactum, quod Ulpianus, spretâ grammaticorum derivatio-  
ne, magisque rerum naturam, quam verborum originem at-  
tendens, à pactione dedit *l. i. §. 1. ff. de paſt.* à pacificando dici-  
tur: est nomen generis & speciei, uti voces lex, adoptio, notio,  
cognatio &c. Pactum generaliter acceptum idem est cum con-  
ventione, ita ut comprehendat quoque contractus *l. i. §. 2. ff.*  
*l. 20. C. de paſt. l. 8. 15. ff. de preſc. verb. l. 6. C. de jure dot. §. 4. f.*  
*de ſervit. prad. §. 1. f. de uſu fr.* specialiter autem sumitur pro illâ

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

conventione, quæ contractui opponitur, l. 6. 7. §. 5. ff. l. 10. 13.  
*C. de pact.* & vocatur alias lex *t. i. ff. de lege commis.* conventio,  
*l. 23. ff. l. 11. 12. 21. C. de pact.* consensus, *l. 16. C. eod.* pactum  
 conventum, *l. ult. pr. & §. 1. ff. de pact. dicitur.* pollicitatio, *l. 5. C. de*  
*contr. & committ. stipul.* *l. 10. ff. de bisque ut indig.*

Pactum, sive pactio in generali significatione definitur, quod  
 sit *duorum pluriumve in idem placitum consensus* *l. 1. §. 2. ff. de*  
*pact.* *l. 3. ff. de pollicit.*; dicitur *pactum*, sive *pactio*, licet pro-  
 prius loquendo *pactio* sit ipse actus, sive factum contrahendi;  
*pactum* vero, quod ex *pactione* existit, sive *obligatio*, quæ ex  
*pacisciendi actu nascitur*, Perez, *in C. ad t. de pact. N. I.* Treutler,  
*ad t. de pact. th. 1. lit. a.*, tamen in nostro Jure hæc vocabula  
*pactio* & *pacti* promiscue usurpantur, & *Jus Civile* talēm di-  
 stinctionem non agnoscit. arg. *l. 7. §. 4. & seqq. ff. de pact.* dicitur  
*duorum pluriumve*, ut distingueretur à *pollicitatione*, quæ est  
*solius offerentis promissio* *l. 3. ff. de pollicit.* & quia nemo se-  
 cum pacisci potest, dicitur *in idem placitum consensus*, id est,  
 in hoc, ut aliquid vel sequatur, aut ē contrario, ne aliquid  
 fiat vel sequatur, negotii contrahendi, vel dirimendi causā: Nam  
 non est *conventio* de eādem sententiā, uti si duo JCti de eādem  
*quæstione* idem statuant, licet illi etiam consernire recte dicantur  
*l. 1. §. 3. ff. de pact.* Pactum specialiter acceptum nihil aliud  
 est quam *duorum pluriumve in idem placitum conventio*, *desti-*  
*tuta nomine*, & *causa*, sive, *cui non subest obligandi causa ex juri*  
*civili per se & suā naturā*. *l. 7. pr. §. 1. 2. & 4. ff. de pact.*

Definitione exhibitā, videamus *pacti divisiones*, quæ sunt va-  
 riæ, *pactum* aliud est *nudum* aliud *non nudum*, *l. 10. C. de pact.*  
 quod DD. verbo magis, quam sensu inconcinno vestitum ap-  
 pellant. *Pactum nudum est conventio in nudis placiti finibus subsi-*  
*stens* *l. 27. C. locat.* id est, talis *conventio*, quæ neque certum  
 nomen & formam habet, uti *contractus nominati*, ne-  
 que causam, ut *contractus innominati*, & cui nulla vis civiliter  
 obligandi extrinsecus accedit, unde non producit obligatio-  
 nem ad agendum efficacem, sed tantum exceptionem. *l. 7. §. 4.*  
*ff. de pact.* *Pactum non nudum est*, *cui ultra simplices fines conveniens*  
*vis aliqua civiliter & efficaciter obligandi extrinsecus accedit* *l. 5.*

## INAUGURALIS. 5

6. 7. ff. de pæt. & hoc vel est *Legitimum*, vel *Adjectum* Cæterum etiam hujusmodi pæcta nuda appellari solent, respectu simplicis formæ conventionis, & ad differentiam stipulationis l. 30. ff. l.

## 12. C. de usur.

*Pactum legitimum* est, cui manente nudâ, ac simplici formâ conventionis speciali aliquâ lege hoc tributum est, ut ejus nomine actio derur, vel tollatur. l. 6. ff. de pæt. sciendum vocem *legis* in hac definitione non stricte, scilicet pro eâ juris scripti specie, quæ in §. 4. J. de J. N. G. & C. definitur, sed late accipiendam esse, ita ut alias juris scripti species comprehendat, uti hujus rei rationes observat D. Bockelm. in tract. de act. cap. 3. pars 9. n. 8. nam videmus lege, vel SCto confirmatum pactum, quo usuræ civitatibus promittuntur l. 30. ff. de usur. item ex pecuniâ trahitiâ. l. 5. §. 1. ff. de naut. fan. sic constitutionibus Principum confirmata sunt pæcta, quibus usuræ promittuntur ex mutuo frumenti, vel hordei l. 12. C. de usur. ex mutuâ pecuniâ argenteriorum Nov. 136. c. 4. quod propter varias rationes, quas Vinn. in tract. de pæt. cap. 4. enumerat, in hisce mutui speciebus contra communes juris regulas constitutum est, cum regula sit, quod usuræ in stricti juris judiciis sine stipulatione non debeantur l. 3. C. de usur. item pactum dotis, l. 6. C. de dot. promiss. donationis l. 35. §. ult. C. de donat. etiam pæcta jure prætorio confirmata nobis in jure occurunt, veluti constitutum t. t. ff. & C. de constit. pecun. & conventio, qua creditori jus in re constituitur l. 17. §. 2. ff. de pæt., l. 1. ff. de pign. act.

Ex hisce omnibus competit *Condictio* ex lege, nisi lex, pætum confirmans, speciale simul actionem dederit l. un. ff. de condit. ex leg., sic ex constituto non nascitur *condictio* ex lege, sed actio de constituta pecuniâ t. t. ff. & C. de constit. pecun. ex pignore pro re obligatâ persequendâ datur actio Serviana & quasi Serviana §. 7. J. de act. & hic est primus effectus. Alter effectus est, quod per pætum legitimum actio sive obligatio surti & injuriarum ipso jure tollatur l. 17. §. 2. l. 27. §. 2. ff. de pæt. JCtus in l. 6. ff. eod. simpliciter quidem dicit actionem nasci vel tolli, sed cum hic effectus singularis pacto legitimo tribuitur, sequitur aliter hoc pacto obligationem tolli, quam tollitur pætum

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

cto nudo ; itaque pacto legitimo ipso Jure , pacto vero nudo ope exceptionis civilis obligatio tollitur §. 3. *J. de except.*, nam naturalis obligatio etiam nudo pacto ipse Jure tollitur l. 95. §. 4. *ff. de solut.*

*Pactum adjectum est, quod manente simplici formâ conventionis, vim civiliter, & efficaciter obligandi habet à nominato contractu bona fidei, cui in continentia additum est l. 7. §. 5. ff. l. 13. C. de pæct. dicitur in continentia, hæc verba pro subjectâ materiâ vario sensu accipiuntur, vide Vinn. tract. de pæct. cap. 9. n. 11. & seqq. sed hoc loco designant statim, in ingressu, & initio contractus, sive antequam contractus perfectus est l. 5. C. de pæct. int. empt. & vend. l. 23. ff. de R. *J.* quod tamen non ita stricte, & præcise accipi debet, ut excludantur ea, quæ absoluto contractu, & nullo alio actu interveniente statim subsequuntur l. 7. §. 5. verbo *subsecuta ff. de pæct. l. 3. C. de adul. action.* nam etiam in jure nostro, quod statim perfecto negotio interponitur, veluti tutoris auctoritas l. 25. §. 4. *ff. de acquir. vel omitt. hered.* in ipso negotio interpositum dicitur l. 9. §. 5. *ff. de aut. tut.* itaque ea, quæ ex intervallo adjiciuntur non producunt actionem l. 13. C. de pæct., sed tantum exceptionem l. 7. §. 5. *ff. eod.*; quod tamen limitationem patitur in pæctis, quæ detrahentia vocantur l. 72. *ff. de contrah. empt. l. 7. §. 6. ff. de pæct.* Ex omnibus pæctis, quæ contractibus bonæ fidei adjiciuntur, Emptioni Venditioni adjici solita, elegi.*

*Emptio venditio est contractus Juris Gentium, bona fidei, nominatus, consensu constans, de re acquirenda certo pretio. inter pæcta, quæ huic contractui adjiciuntur, maxime celebria sunt, Jus Retrovendendi, Jus Retractus, in diem Addictio, & Lex commissoria, de quibus jamjam acturi sumus.*

### CAPUT SECUNDUM.

D E

### JURE RETROVENDENDI.

**C**Um in omni tractatu soleat prior verborum, potior tamen rerum haberi ratio, verba enim rebus, non res verbis

## INAUGURALIS. 7

bis deservire debent, hanc tamen de *Jure Retrovendendi* materiam occasione nostri conatus enucleaturi, circa vocis explicatiōnēm non est quod multum laboremus: usitatissima apud D. D. nec iure civili ignota locutio est rem emptam retrovendere, quod verbum compositum est ex *retro & vendendo*: non nulli *pactum de revendendo* vocant; nam & *revendendi* verbo usus est Ulpianus in l. 37. ff. *de bon. libert.* alibi quoque *transcribere* dicitur pro *retrovendere*. l. 12. ff. *de præsc. verb.*

*Jus Retrovendendi est pactum*, quo venditor sibi reservat *jus eam rem redimendi*, vel simpliciter *omni tempore*, quo voluerit, vel *intra certum tempus adjectum* l. 2. C. *de pact. int. empt. & vend.* De hoc *Jure præcipue* Qr. an illud, *præscriptione tolli possit?* R. si *pactum indefinite incatur*, *nullo tempore adjecto*, hoc *jus præscriptione* nullo modo tollitur arg. l. 31. §. 22. ff. *de adil. edit.* si vero tempus aliquod adjectum sit, *præscriptioni* locus est, si autem venditor tempestive offerat pretium, *emotor* vero se substrahat, tum venditor denunciando, deponendo, & obsignando pretio, sibi contra fraudem *emotoris* potest consulere l. 7. C. *de pact. int. empt. & vend.* Hujus *pacti* substantialia sunt *res, & pretium*; nisi enim *res à parte prioris emotoris, & pretium à parte venditoris redditum* sit, huic *pacto* satisfactum non est.

Hujus *pacti* effectus non est, quod venditor maneat dominus; nam revera dominium & possessio in *emptorem* transit, unde *emotor* etiam *fructus medio tempore perceptos* suos facit arg. l. 2. C. d. *pact. int. empt. & vend.* nec venditori datur vindictatio, nec contra tertium agere potest, cum sit actio mere personalis, quæ *rem non sequitur* l. 1. §. 16. ff. *ad Sæt. trebell.*, sed tantum adversus contrahentem, *possessor* autem tertius non contraxit cum primo venditore, qui vendendo sub isto *pacto*, non tam *rem affecit*, quam personam *emotoris* l. fin. §. fin. ff. *de contrab. empt.* effectus tantum in eo consistit, quod *pretio restituto* vel *oblato* venditori ejusque heredi, vel etiam singulari successori competat actio personalis ex vendito l. 2. C. *de pact. int. empt. & vend.*, ad id, ut res *retrovendatur*; cum ergo *pretium offertur*, tum proprie prior venditio non rescinditur, sed nova initur. Hæc actio regulari *vertio cedi* potest; cum quod quis

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

quis per se potest , possit etiam per alium l. 63. ff. de R. J. nisi dactum fuerit , ut tantum sit ea venditori facultas , non etiam alteri concedatur , nam cum contractus ex conventione legem accipiant , cessabit actio . l. i. §. 6. ff. depositi .

## CAPUT TERTIUM.

D E

### J U R E R E T R A C T U S .

**R**etractus à retrahendo dicitur , vide Brisson . in lexic. verb. retrahere & retractare . Latinam hanc vocem esse eleganter probat Jacob . Curt . conj . l. 2. tom . 1. cap . 15. per l. fin . § . 2. ff . de administrat . rer . ad civit . pertin . ubi Papyrius lib . 2. de constit . Antoninum & Severum Imperatores ita rescripsisse resert : agros reipublicae curatorem civitatis retrahere debere , licet à bona fidei emporibus possideantur , cum possint ad antores suos recurrere . Fredericus Imperator in const . sua . l . 5 . feud . c . 13 . & seq . eam appellat jus ~~repolusnorum~~ , prælationis , à ~~repolusnorum~~ , id est præfero , quod illi , quibus hoc jus competit , aliis præferantur . Aliis vocatur jus congrui ; inde forte appallatum , quod æquitati congruat , eos , quibus hoc jus tribuitur , ad emptionem rerum distractarum , vel distrahan darum potius admitti , quam alios .

*Jus retractus est jus , quo venditor vel tertius idem pretium empori solvens , quod alius solveret , aliis tamen præferitur , re ab emptore iterum venditā . l . 75 . ff . de contrah . empt .*

Retractus alias est *conventionalis* , alias *legalis* . *Conventionalis* dicitur , quæ ex conventione & contrahentium pacto competit . *Legalis* retractus est , qui competit absque conventione , ex legis dispositione . Tale jus competit ratione dominii in emphyteusi l . ult . C . de fur . emphyt . ratione crediti l . 6 . ff . de reb . autt . jud . poss . hujus legalis retractus species est retractus consanguinitatis , quem & gentilitium vocant , quo datur jus proximis agnatis , & qui de familiâ sunt venditoris , rem ab eo venditam , & extra familiam alienatam , ~~revalēandi~~ .

Nost

## I N A U G U R A L I S. 9

Post retractus definitionem & divisionem pauca de origine hujus Juris, quæ lucem adserent nostro tractatu, sunt subjun-  
genda. Constat hoc jus retractus esse vetustissimum, & aliquando in republicā Judaicā constitutum, ac receptum; ut non inepte ex sacro quoque Codice hanc facultatem liceat repetere, *Levit.*  
*cap. 25. v. 25.* ubi in hunc modum fatur Moses: *si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam, & voluerit propinquus ejus, potest eam redimere,* cum quo convenient *Ruth. c. 2. & 4. Jerem. c. 32. v. 7.* consentiunt Chassaneus in *conf. Burg. tit. de retract. §. 1.*  
*N. 1.* Mysing. 3. *observat. 51. N. 6.* & alii. quod certe institu-  
tum; cum rationem, tam nostræ, quam Judaicæ Reipub. con-  
venientem continetur; haud perperam hanc facultatem Juri consuetudinario, & municipali multarum provinciarum, non solum Belgicæ, sed & Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Ita-  
liæ &c. dicimus accommodatum Tiraquell. *lib. i. retract. in pref.*  
*N. 1.* de cuius idoneâ ratione non puto dubitandum esse, cum, ut bona & fundi genearchici in quâvis familiâ remaneant, ex-  
tra illam invitis proximioribus non alienanda; tum etiam, ut  
hujus Juris observantiâ, & facultatum inter consanguineos con-  
servatione, splendor & vires familiarum, præsertim nobilium,  
quæ sunt fulcrum Reipub. conserventur, per tradita Bodin. *lib.*  
*5. de Repub. c. 2.* ceterum Fredericus Imperator, in suâ Constit.  
de Jure ~~ποτιμήσεως~~, meminit, à Græcis interpretibus jam  
olim circa hoc Jus utilia quædam esse excogitata; ut videri pos-  
sit id ab Hebreis ad Græcos, & à Græcis ad Romanos defluxisse;  
atque apud eos usque ad tempora Imperat. Valent. Theodos.  
& Arcad. suisse continuatum; qui, *l. 14. C. de contrah. empt.*  
*vend.* abrogatâ, constituerunt; ut unusquisque, suo arbitratu,  
quærere posset emptorem, etiam penitus extraneum *d. l. 14. C.*  
*de contrah. empt.* hoc tamen adjecto temperamento; nisi lex spe-  
cialiter quasdam personas hoc facere prohibuisset, & quosdam  
casus exceperisset, *l. ult. C. de Jur. Emphyt. l. unic. C. non lic. habit.*  
*l. 1. sub. fin. C. de metall. &c.* segregabantur enim varii casus ab  
illâ regulâ *d. l. 14.* de quibus vide Berlichium *conclus. 39. de*  
*Jure protim. N. 2. & seq. 2. p.* Hoc itaque Jus, quod ante ob-  
tinuit, Fredericus Imperator *d. constit. suâ*, non tam noviter in-

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

troduxit, quam vetus & in Repub. Rom. ante frequentatum recte restauravit.

Porro in quovis negotio semper de personis, quæ agunt, quæ patiuntur, & quibus Jus aliquod competit, exactè oportet dispicere, an scilicet idoneæ, & habiles ad actum aliquem perficiendum existant; mutata enim personâ Jus ipsum non raro mutatur. *l. i. C. de imponenda lura. des.* Competit igitur hoc retrahendi Jus ex dict. constit. Frederici Consanguineis, quos Imperator appellat Parentes tiraquel. *de nirogue retract. 2. pr. §. glos.* 8. quo vocabulo propriè indigitantur ascendentis usque ad tritavum; superiores enim majorum appellatione veniunt. *l. 10. §. 7. ff. de grad. & off.* laxiori autem istius verbi significatu denotantur omnes in infinitum utriusque sexus ascendentis *l. 4. §. 2. ff. de in jus vocando*, & parentes pro cognatis usurpari cœperunt; non tantum apud Feudistas (*lib. 1. feud. T. 24. quemad. feud. ad filium pertin. & l. 2. T. 33. de consuetud. feud. rect. cis. fin.* & Canonistas *c. ult. extra qui cler. vel volent c. caus. matrim. de offic. deleg.*) sed etiam scriptores alios, uti Lampridium *in vita Alexandri*, dum scribit, *amicos & parentes*, Alexander si malos reperit, aut punivit: aut si vetus amicitia vel necessitudo non sivit puniri, dimisit a se, dicens his charior mihi est Res publica: hi itaque consanguinei, nomine parentum designati sunt, qui hoc retractus Jure gaudent, ipse tamen venditor ad retractum non admittitur; per regulam, quem de evictione tenet actio, eum agentem repellit exceptio. *l. 17. ff. de evict. l. 6. C. eod. l. 2. C. dereb. alien. non alien. ratio quoque subest evidentissima*, quod nihil sit, tam æquitati naturali conveniens, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, uti inquit Justinianus Imperator §. 40. *J. de rer. divis.* imo licet nullus præter venditorem proximior amplius extaret, nihilominus tamen ab hoc jure repelleretur, secus obtinebit, si rem sub pacto de retrovendendo alienaverit, de quo supra. *C. 2. egimus.*

Consanguineis etiam liberi nostri annumerantur *l. 12. ff. de suis & legitim. hered.* porro consanguineorum vocabulo etiam cæteri propinquai continentur; quippe hic illud non sumitur pro fratribus eodem parente genitis, sicut in *l. 1. §. 10. pr. ff. eod. l. 27.*

*C. de*

*C. de inoffic. testam.*; sed pro illis, qui quocunque modo gradu & sexu sese invicem contingunt: uti passim in *Jur. Canon.* usurpatur, ut in *c. manus.* & *in c. non deb. extr. de consang.* & *affin.* Hi igitur consanguinei, jus Congrui habent, idque secundum gradus prærogativam *d. const. Freder.*; ut proximior gradu remotiorem repellat. Quid si sint pluris ejusdem gradus? omnes, si hoc jure uti velint, admittentur, *Gomes. ad. l. tauri 70. N. 13. Tholos. l. 26. C. 13. N. 6.* at quid si aliqui retrahere velint, aliqui nolint? horum pars illis accrescit, *Berlich. conclus. 39. N. 28.* sed an illi singuli pro parte retrahent, an unus omnium nomine? aut res recipit divisionem, puta quod sit latifundium, & pro parte singuli petere poterunt, aut non recipit, & tum is ager, qui prævenitur, quod si omnes simul veniant? tum forte res dirimetur. *arg. l. 13. 14. ff. de jud.* vide *Berlich. C. 39. N. 28.* & late *Reink. q. 2. N. 8.* & *seqq.* plurimosque ab iisdem laudatos.

Deficientibus consanguineis, vicini, socii, aliique conjungi, etiam si extranei sint, retrahendi facultatem habent *d. const. Freder.*, saepe enim confines fundos, etiam supra justam estimationem interest nostra, acquirere *l. 54. ff. de leg. 2.* ne etiam malos habeamus vicinos *l. fin. C. de pact. in empt. & vend.* Quod si duo vicini simul petant? is præfertur, qui proximior, vel qui ex latiori parte vicinus est, nisi forte is, qui ex minori parte erat, ipse rem comparaverit: atque ita Frisiae Curia pronunciat *Sand. lib. 3. tit. 5. defin. 9.* alibi quoque cognatis non retrahentibus confinium prædiorum situs respicitur, ut præferatur dominus, illius quod ad orientem vergit, deinde eius, quod ad meridiem, post eius, quod ad occidentem, & denique admittatur dominus illius, quod septentrionem spectat. *Drentb. stat. lib. 3. art. 34.* & consuetudine variorum locorum, ipse Princeps, etiam proximioribus venditoris consanguineis existentibus, & retrahere volentibus, jure retractus gaudet. Ita in Hollandia competit ipsi Comitatui (vulgo *de Graeffelyk-heit*) jus retrahendi feuda, per vasallos ipsius alienata. vide *Rynlandiae statuta art. 35.* quo jus retractus quoque Ballivio, illius consanguineis, vel viciniis non existentibus, intra annum & sex

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

hebdomadas conceditur, Grot. in *introd. suâ ad prax. holl. d. tract. verb.* in *Rynlandt heeft den Bailliu &c.*

Commemoratis personis quæ retrahere possunt, instituti ordinis ratio efflagitat; ut res, huic Juri obnoxias, paucis perlustremus. Subjiciuntur autem Juri protimeseos res immobiles, non genearchicæ solum, gentilitiæ & avitæ vulgo *stam-goederen* Berlich. part. 2. conclus. 13. N. 4. & seq. sed & quæcunqne patrimoniales, & hereditariæ, vulgo *erf-goederen*: quibus & bona acquisita, quæ videlicet nec à progenitoribus, nec hæreditate aliqua nobis obvenerunt, sed aliunde labore, industria, vel alio modo legitimo sunt comparata, annumeramus, cui sententiæ obstatre videtur, quod ratio Juris retractus proximitatis, propri censeatur fundari in sola affectione rerum, quæ majorum nostrorum fuerunt, in quibus defecit pater, filius crevit: ubi majorum imagines, aut non videre, aut videre avulsas, satis lugubre est & dolendum; ut loquitur text. in l. 22. C. de administr. tue. quæ omnia, cum in bonis noviter acquisitis, plane cessent, nulla satis idonea ratio subesse videtur, cur & in hisce retractum locum habere concedamus. [Huic accedit ipsa constitutio Frederici Imperatoris de *Jure protim. in pr.* quæ tum demum admittit retractum, cum bona ex communi parentela proveniant, hoc est maxime à majoribus nostris: ut quidam interpretantur. Hisce & similibus dubiis in arena respondebitur. Consentit supra dictis singularis Hollandiæ, aliarumque regionum consuetudo, qua non tantum patrimonialia, sed quicquid sit, modo immobile, ære proprio primum comparatum, retractui subjacet Grot. d. loc. 3. part. 16. §. *dit recht comt toe.* nec ab hoc Jure protimeseos excludimus bona feudalia, in quibus etiam hanc proximitatis prærogativam privilegium habere dicimus C. titius si de *feud. defunct. contut. 2. feud. tit. 26.* qua de re late agunt feudistæ, præsertim recentiores vid. Herm. Vult. magnum Germaniæ Juris consultum 1. *feud.* 11. N. 74. & mult. seqq. In mobilis, licet magni sint pretii & valoris, Jus retractus non habet locum d. const. fred. Tiraquell. de *retract. lig. gloss. 7.* N. 100. & seqq. nisi immobilibus sint connexæ. Ratio hujus manifesta est, quod causa finalis rerum, in familia conservandarum, in rebus mobilibus se-

pe deficiat, utpote quarum possessio fluxa admodum est & fragilis; imo ipsæ sæpius viles l. 47. ff. de acquir. vel omitt. possess. l. 44. ff. eod.

In quibus autem contractibus res retractui obnoxiae sint, Jam inquirendum. Trium quidem, Venditionis, Emphyteusios, & Locationis meminit Constitutio. Primum igitur videamus de Emptione Venditione, cuius verbum latissime quidem patet & omnem contractum, sive alienationem, ex qua dominium transfertur, comprehendit l. 29. §. 1. ff. de statulib. & eo spectat illud Horatii:

*nocet empta dolore voluptas,  
item illud: nil carius constat, quam quod precibus  
emitur.*

in hac tamen retractus materia, juxta communem loquendi usum, proprie id accipimus de illâ Emptione, quam supra cap. i. desinivimus. Loquimur de contractu Emptionis Venditionis valido, & secundum leges factò, ex quo transit dominium; secus erit, si ex aliqua causa sit nullus, sive ex defectu solennitatum: veluti si res immobilis ad minorem 25. annis spectans, nullo interposito magistratus decreto, fuerit alienata, etiamsi onus æris alieni subefset l. 5. §. 9. ff. de reb. cor. qui sub int. l. 22. C. de admin. tutor. curat. l. 6. seq. C. de præd. minor. sive propter personæ incapacitatem; sive propter dolum dantem causam contractui; quia is contractum facit ipso Jure nullum l. 7. in verb. nullam esse venditionem, si in hoc ipso. ut venderet circumscriptus est ff. de dol. l. 2. §. 1. ff. de minorib. nec erit retractui locus; si venditio fuerit simulata l. 55. ff. de contrah. empt.

Nec definit quoque locum habere Jus retractus, si auctione publicâ, decretove magistratus Venditio facta fuerit; quia in tali etiam Venditione veri pretii numeratio intervenit, veraque ista venditio censetur; & per consequens denegandum non est agnato bonorum, quæ extra familiam, additionis, seu adjudicationis alienata fuerint nomine, Jus retractus. Et ea de re expressam apud Parisienses exstare consuetudinem articul. 150. de retract. gen. il. & in curiâ Tholosanâ id multis arrestis, & præjudicis confirmatum; contra querundam opinionem, qui, in ista venditione judiciariâ, retractum non admittunt, refert Gerard Maynard. decis. tholos. 46. N. 2. lib. 6.

quem sequitur Argentræus in consuetud. Britannic. tit. des. appropriances. art. 265. in verb. il. convenient. Paulus Christinæus decis. cur. Belgic. volum. 3. decif. 55. N. 6. qui sic aliquoties judicatum tradit. Reddi quoque ratio potest, quia non tam quomodo venditio celebretur, quam cujus res venierit, & de cuius familiâ abeat, spectari debet. Damhouder. praxis civil. cap. 265. N. 22. consentit d. constitutio Frederici Imperatoris in verb. & extraneos emptores omnimodo repellere. Moribus tamen Hollandiæ, Zelandiæ (Voornano agro excepto) retractus tum cessat; si venditio publicè per Licentiationem facta fuerit Grot. manud. lib. 3. part. 6. §. maar in 't Landt van Voorn. ubi quoque, quomodo eo in casu id fieri debeat, explicatur const. Voorn. anni 1519. artic. 59. vide stat. Fris. Occid. pag. 196.

Quantum ad locationem variè inter se DD. dissentunt; nos tuebimur d. constit. Frederici Imperatoris, ex qua omnimodo huic juri retractus locationem obnoxiam esse constat, & illam imprimis, quæ fit ad longum tempus, qua possesso, & quasi utile dominium transfertur Tiraquel. dict. tract. §. 1. glos. 14. nn. 79. & seqq. facit, quod prohibita alienatione, censeatur etiam hæc locatio prohibita ead. glos. nn. 81. & seqq. & quod locatio hæc proxime ad naturam emptionis accedit, ejusdemque regulis Juris terminetur l. 2. in pr. & §. 1. & 3. ff. locat. §. 1. in pr. Inst. de locat. conduct. & quod lex, loquens de venditione, trahatur quoque ad locationem §. 1. in fin. Inst. de empt. vend. de Emphiteusi certæ familie relicta, quæ familiam non egreditur, vide D. Wissenbachium disp. ad ff. 18. th. 35. & in hac quoque valere retractum ex d. constitutione Frederici dilucidè appetet vid. Ant. Matth. disp. 18. ib. 7. de Jure protim. non vero in donatione jus congrui habet locum d. const. Freder. Imper. l. 4. C. de fidei comm. l. 1. C. de fund. patrim. l. fin. C. de pred. cur. ratio est, quia donatio ex merâ liberalitate, & munificentia propter singularem affectionem donantis erga donarium procedit l. 1. l. 5. ff. de donat. illa autem cessare potest in persona consanguinei, retrahere volentis jure consanguinitatis; tum etiam extraneus melius de donatore potest esse meritus, quam consanguineus. D. Wissenbach. disp. de jure protim. th. 12. & facit, quod prohibita venditione, non sit prohibita donatio d. l. fin.

C. de

*C. de pred. cur. hæc ita procedunt; nisi in fraudem retractus instituta sit donatio; quo pertinet textus in constit. Frederici Imperatoris vers. ex causa eum, ubi statuitur, apparentibus indicis suspectæ donationis, illos, qui hoc jure gaudent, posse exigere juramentum à venditore & emptore; & post juramentum, si probatum fuerit, contra constitutionem simulate factum, rem & pretium fisco applicari, qui rem illam vendet illis, qui habent hoc jus protimes; si vero ante juramentum probatum fuerit, eos fraudem fecisse, venditio erit irrita, & vendor cogetur invitus vendere, illis, quibus hoc jus constitutione datum est. Benedel. de jure protimes ad §. cans. vero. dot. N. 12. vers. Limita regulariter & n. 42. sub vers. sed nunc de simplicib. idem obtinet in aliis dict. constit. Frederici memoratis casibus. Matth. Berlich. p. 2. conclus. pratt. 39. N. 65.*

Ultimo loco dispiciendum venit, adversus quos hoc jut competit: & quin adversus emptorem competit dubium non est, sed Q. an & adversus ejus heredem? etiam adversus ejus heredem, uti omnes actiones personales: imo cum hæc non solum sit personalis, sed & in rem scripta dicatur, etiam versus quemcunque possessorem dabitur, heredem puta si quidem possideat, vel secundum tertiumve emptorem, Boer. *dic.* 182. *N. 52.* Berlich. *d. conclus.* 39. *N. 99.* Reink. *d. q. 2.* *N. 35.* at quid si emptor sit Clericus, quid si Ecclesia, quid si minor? consanguineus nihilominus ad retractum admittetur, Christin. *vol. 3. d. 57. N. 5.* Berlich. *d. loc.* *N. 96.* Reink. *d. q. 2.* *N. 231.* & seqq. ubi complures suo more citat.

Qui rem venditam retrahere cupit, pretium solutum emptori restituere, & intra legitima tempore offerre debet. *text. in C. constitutus extra de restitut. in integ. d. constitutione Frederici de jure protimes.* & non solum integrum, ut mox dicetur, sed etiam in moneta probâ, ejusdem ponderis & bonitatis, in quâ illud ab emptore solutum, vel promissum fuit venditori; nam qui vult aliquem compellere ad contractus observationem, oportet & ipse non deficiat; indeque receptum hoc, *qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet.* Paul. Christin. *decis bel. vol. 3. decis. 58. N. 6. infin.* ex hoc capite quosdam retractus jure cecidisse, & id in supremâ curia in JUDICANDO observatum testatur;

## 16 DISPUTATIO JURIDICA

testatur; consentit Andreas Gail. lib. 2. observ. 19. N. 7. pretium autem justum atque integrum restituere debet l. 13. §. 8. ff. de act. empt. l. 6. C. de distract. pign. particularis autem solutio, tanquam multa incommoda habens, non sufficit. l. 25. ff. de reb. cred. ideoque moram committere censetur non solum is, qui nihil solvit, vel tardius; sed & qui nec totum l. 85. ff. de solut. fecus erit, si venditor consentiat, & per partes sibi solvi permittat l. 9. §. 5. 1. ff. de solut. quia volenti non fit injuria. l. 34. C. de transact. Atque hoc ita procedet, modo pretium sit liquidum. Porro pretium tale erit præstandum, quale à primo emptore fuerit solutum, & si emptor intra legitima retractus tempora rem alii majori pretio vendiderit, non cogitur retrahens id repræsentare arg. l. 19. §. 9. ff. de captiv. & postlim. revers. Chassaneus. ad consuetud. Burgund. rib. 10. §. 11. N. 1. quid si alteri viliori pretio sit vendita, æquum est, retrahentem liberari, si minus illud præmium offerat: nam si residuum quoque solendum foret, solvi deberet, aut primo emptori, aut secundo; non primo, quia nil juris retinuit in re vendita; non secundo, ne plus, quam dedit, recipiat Berlich. d. conclus. 41. N. 26. per text. in l. 6. C. de restit. nul. nec est, quod primus de damno, & injuriâ conqueratur, quoniam ille rem ipse sciens prudensque vendidit; & sibi imputare debet, quod tempus legitimum non exspectaverit. l. 145. & 203. ff. de Reg. Jur.

Retrahens non solum pretium solutum, sed etiam sumptus & impensas, quas emptor sustinuit, offerre & refundere debet, huc facit text. in constit. Frederici de jure protimes eoz vers. & licet ibi. impensæ autem sunt triples; aut enim necessariae dicuntur, quæ si factæ non essent, res aut peritura, aut deterior futura fuisset; aut utiles, quibus non factis deterior quidem res non erat futura, factis vero melior effecta est; aut voluptariæ, quibus neque omissis deterior res futura erat, neque factis melior effecta est, sed quæ speciem duntaxat ornant. l. 79. ff. de verb. sign. procedit primo thesis nostra quod ad expensas necessarias, post contractum in rem venditam, retractui subjectam, factas, ut-pote rem conservantes, & ejus causam salvam præstantes arg. l. 6. C. de pign. l. 8. ff. de pign. act. l. 5, 6, 7. ff. qui pot. in pign. quam obrem

obrem semper ille deducuntur & repetuntur ; sive malæ , sive bonæ fidei possessor fecerit. l. 8. ff. de pign. act. l. 7. ff. de solut. matrim. l. 5. C. de rei vindic. qui tamen , si rem , non deducetis iis , restituerit , nulla in jure nostro , qua eas consequi possit , superest actio ; ideoque servabit cas solâ deductione & retentione rei. Secundo locum quoque habet nostra assertio , si impensæ utiles in rem retrahendam sint factæ arg. l. 39. §. 1. ff. de minorib. & ita Chassanæus in consuetud. Burg. tit. de retratt. §. 1. ad verba les fraiz raisonnables , n. 1. conjungens utiles & necessarias ; consentit Andreas Gail. qui recte voluntarias excludit d. observat. 19. N. 9. ib. quia tantum ad necessarias & utilles expensas , & non ad delicatas tenetur. &c. Bonæ fidei enim possessor per exceptionem doli mali tales retinere potest. §. 30. Inst. de rer. divis. Secus malæ fidei possessor , qui neque per actionem , neque per exceptionem impensarum utilium repetitionem habet ; sed eas amittit prorsus. d. §. 30. l. 7. §. 12. ff. de acquir. rer. domin. poterit autem eas tollere , modo res inde non reddatur deterior. l. 38. ff. de bared. petit. l. 38. ff. de rei vindicat. Non procedit itaque nostra thesis in impensis voluptuariis ; eas enim emptor neque actionis , neque exceptionis , neque retentionis beneficio recuperat. l. 9. ff. de impens. in rem dot. fact. l. 38. ff. de rei vindic. tollere tamen eas illi permititur , modo id sine rei detimento fieri possit l. 38. ff. de rei vindic. l. 9. ff. de impens in rem dot. fact. Ad has tamen , aliasve evitandas controversias , admodum prudenter fecerit retrahens , si denunciaverit emptori , se in animo habere , rem venditam retrahere , ne alios , quam necessarios sumptus emptor faciat. Gail. d. observ. 19. N. 10. Berlich. p. 2. conclus. 41. N. 42.

Retrahens quoque jus suum intra tempus legitimum exercere debet : de quo tempore instituendæ actionis protimescos diversæ sunt DD. opinones , quas recenset Berlich. part. 2. conclus. 40. N. 1. & seq. Fredericus Imperator 30. dierum spatium præscribit d. const. suâ , quod usu nunquam receptum fuisse tradit idem Berlich. alleg. conclus. 40. N. 4. sed statuta cum alia , tum Belgii nostri fere his 30. diebus annum , & diem surrogarunt , quod temporis spatium plurimorum doctorum

## 18 DISPUTATIO JURIDICA

(quos longâ serie Berlich. recitat. conclus. 40. N. 5.) calculo approbatur.

## CAPUT QUARTUM.

DE

## IN DIEM ADDICTIONE.

**C**um considero & verbum *diei* & verbum *addictionis*, video de utroque tam multa & necessaria in jure occurrere, ut vel unius hujus verbi plenam explicationem destinatae disputationis pagellae capere non possint. Ex plurimis illis paucula dicam, quæ magis ad rem pertinere videbuntur. Diem quidam dici voluerunt ἡπτὸν Ηὔνος, quod Jupiter sit auctor & rector diei. Varro diem à Deo dictum afferit, alii à Dio, ideo quod lumen diem conficiens sub cælo sit, cum sub dio esse idem fere significet, quod sub cælo esse. Nec in definiendo die omnibus idem videtur. Aristoteles dicit esse excusum solis ab oriente in occasum. Basilius Magnus illum esse aërem, quem sol illuminet, refert, cum sit in eo hemisphærio, qui super terram est collocatus. In jure nostro dies accipitur pro parte aliqua temporis, nec semper pro eadem. Paulus enim Ictus ait: dies à mediâ nocte incipit, & sequentis noctis mediâ parte finitur, ita quicquid iis viginti quatuor horis, (id est duabus dimidiatis noctibus, & Luce mediâ) actum est, perinde erit, quasi quilibet horâ lucis actum esset. *I. 8. ff. de fer.* Atque sic quidem dies etiam ipsum nocturnum tempus continet, quomodo, qui triginta dies vixisse, dicitur, totidem quoque noctes, superfuisse intelligitur. Aliis autem juris locis, & vetustissimo quidem more, dies accipitur pro ea temporis parte, quæ tantum continet horas duodecim, quæque nocti apponitur, quo respexit Proculus dicens: disjunctivum est, veluti cum dicimus dies est, aut nox est, quorum posito altero, alterum tolli necesse est. *I. 124. ff. de verb. sign.* Et sic Claudius Saturnius nocturnum tempus à diurno discernit. *I. 16. §. 5. ff. de pœ-*

*de poenis.* tertio modo accipitur dies pro tempore indeterminato, veluti cum quis promittit annuâ, bimâ, trinâ die h. e. temporis unius, duorum, trium annorum, vel tribus pensionibus per triennium solvere. *l. 3. ff. de ann. legar.* vel denique dies accipitur pro certo aliquo tempore in genere, sive illud sit hora, sive dies, sive mensis, sive annus, sive aliud, atque ita dicitur dies adjici, stipulatio fieri in diem §. 2. *Inst. de verb. obl.* legato adjici dies *t. t. ff. quand. dies legat. ced. dies actionis exire l. 4. ff. ne quis enim, qui in jus vocab. vi exim. actus legitimus recipere diem l. 77. ff. de Reg. Fur.* addictio fieri in diem *t. t. ff. b. t.*

Addictionem à verbo *addico* ortum trahere nemo dubitat. Addicere autem videtur is, qui ita dicit, ut inde aliquid ad alium perveniat, præpositione *ad* significationem verbi *dicere* augente, quemadmodum & de significationem vocis *depono* augere simili casu observat Ulpianus in *l. 1. ff. depos.* hinc addicere significat aliquando *dare*. Sic dicitur *judex addici*, qui datur à *Prætore l. 39. & 46. & 80. ff. de judiciis*: aliquando *adjudicare*: sic in *leg. 12. tab.* dicebatur, post meridiem præsenti litem addicito, id est secundum presentem *judicato*. *Gell. lib. 17. c. 2.* sic dicitur addicere supplicio, id est sententiâ ad supplicium damnare *l. 29. C. de appell.* Aliquando *attribuere* est ius facere ejus, quod vel ex sententiâ vel aliunde debetur. Atque hoc sensu celebratur hoc verbum, inter tria illa, quibus *Prætoris* potissimum officium continebatur, quæque nefasto die filebantur secundum illud *Ovidii fast. lib. 1.*

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:*

*Fastus erit per quem lege licebit agi.*

Sc. do, dico, addico Quorum primum dandi judicis significat potestatem, secundum juris dicendi & ferendæ sententiæ, tertium judicati faciendi & exequendi. Unde multum interest, an pignus addicatur, an adjudicetur. *l. 15. §. 3. ff. de re jud.* Atque sic addicere proprium quidem erat ejus *Magistratus*, sed postea translatum est ad *Magistros auctionum*. *Anton. Aug. lib. 2. emend. c. 3.* Ab his videtur translatum ad quoslibet privatos contrahentes, qui rem nisi pretium intra certum diem augeatur, emptori attribuunt:

## 20 DISPUTATIO JURIDICA

quo sensu hoc loco & t.r. ff. de in diem addic̄t. accipitur. Sic ergo Venditor dicitur rem Emptori addicere l. 1. ff. b. t. à quo plurimum in hac materiā differt verbum *adjicere*, quod pertinet ad emptorem pretium augentem, vel plus licitatem. l. 7. & 8. ff. b. t. quod autem verba *adjicere* & *addicere* non semper satis caute distincta sint, aliudque pro alio in hac materiā quandoque ponatur, multis erroribus causam dedit, uti observat Aug. lib. 2. emend. cap. 3. Ab utroque differt verbum *abdicere*, quod hēc ad venditorem plerumque refertur, cum is oblatam conditionem abnuit, l. 9. ff. b. t. sed & non ineleganter projicere rem veteribus dicebatur vendor, qui nimis vili pretio vendiderat. l. 50. ff. de evict. l. 36. §. 1. ff. mand. sicquē Seneca epist. 12. beneficia nos magis projicere, quam donare refert: atque hinc satis constat graviter errare eos, qui pro in diem additione legi volunt in diem adjectione in t. ff. b. t. hēc de verbis sufficient, nunc ad rem ipsam definiendam transeo.

*Addictio in diem est pactum, quo cavitur, ut res convento pretio emptori sit empta, nisi quis intra certum tempus meliorem conditionem obtulerit.* Quam definitionem JCtus Paulus probat atque illustrat, cum in diem additionem hoc modo fieri nos doceat: *ille fundus centum esto tibi emptus, nisi si quis intra Kalendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à domino abeat.* l. 1. ff. b. t.

Addictio in diem duplex est, alia suspendens, alia resolvens emptionem. Doctores *suspensivam* & *resolutivam* vocant. *Suspensiva* est, quæ suspendit emptionem, donec conditio existat, eaque adiecta contractus non est purus, sed conditionalis. l. 2. ff. b. t. & facit, ne ante conditionem existentem fiat emptio, quo casu emptor nec ius dominii, nec usucapiendi conditionem accipit, quia destituitur titulo, qui conditione adiecta nondum existente nullus est; nec ergo poterit fructus lucrari, et si pretium solvisset, quod tamen cum interusorio emptori restituendum est, sicut & sumptus emptori restituendi, aut à fructibus deducendi sunt meliori conditione oblatā, ne vendor cum alterius detimento fiat locupletior. l. 16. ff. b. t. Brunet. ad l. 6. ff. b. t. ibique Mantica & alii. *Resolutiva* est, quæ adjicitur emptioni perfectæ, sed sub conditione resolven-  
dæ,

dæ, & facit, ut ab initio valeat contractus sed conditione existente resolvatur, quo casu emptor revocabile aliquod accipit dominum, ( si res vendoris vendita sit ) si aliena, usucapiendi facultatem, & utroque hoc casu fructus lucratur, & periculum rei sustinet. l. 2. sub fin. ff. b. t. sed & emptor potest interim rem pignori dare, l. 4. §. 3. ff. h. t. & vindicare. l. 41. ff. de Reg. Jur. sed postea oblatâ meliori conditione dominium transit ipso jure ad emptorem secundum, d. l. 41. & pignus evanescit. Resoluto enim jure dantis, censetur etiam resolutum jus accipientis & fructus restituendi sunt vendori. l. 6. pr. ff. b. t.

Ut utraque additio effectum sortiri possit requiritur, ut revera melior conditio vendori offeratur. l. 4. §. ult. ff. b. t. melior autem intelligitur esse, quæ utilior est, l. 5. ff. b. t. vel ratione majoris quantitatis ( quæ adjectio dicitur d. l. 4. §. fin. & certe utilitatem adfert vendori nisi & pro adjectione illâ quædam accedant emptori. l. 15. §. 1. ff. b. t. l. pen. ff. eod.) vel ratione temporis, forte si prior in diem, posterior præsentem pecuniam offerat. d. l. 4. §. ult. ff. b. t. Nam uti tempore plus peti §. 33. Inst. de act. ita plus solvi intelligitur. Vel ratione loci, qui etiam solutionem utiliorem reddit d. l. 4. §. ult. unde & plus loco pertinet. d. §. 33. l. 3. & t. t. ff. de eo, quod cert. loc. vel ratione personæ emptoris, si posterior magis solvendo, magisque idoneus quam prior sit d. l. 4. §. fin. ff. h. t. vel ratione conditionum aliarum, quas posterior offert meliores, forte si satisfactionem nullam exigat, vel remittat alia onera vendori sustentu molesta & gravia, quo casu etsi vilius pretium offerat, meliorem tamen conditionem attulisse censetur. l. 4. sub fin. ff. b. t.

Secundo requiritur, ut prior emptor de oblatâ conditione admonetur, nam necesse habet vendor, meliore conditione aliatâ, priorem emptorem certiorem facere, ut. si quid alias adjicit, ipse quoque adjicere possit, resert Paulus in l. 8. ff. b. t. idque videtur exigere ratio hujus bonæ fidei negotii, secundum quam vendor emptorem de eo, quod ei nocere posset, certiorem facere tenetur. l. 1. §. 1. ff. de act. empt. l. 1. ff. de edend. priorem ergo emptorem, supra id, quod secundus obtulit, aliquid adjicere debere haud opus est, verum, si idem præstet, sufficit,

ficit, quamvis contrarium verba Pauli innuere videantur, in l.7.  
ff. b. t. nisi prior plus adjicere paratus sit; sed & plus hic non in  
comparatione ejus quod secundus obtulit, sed quod antea pri-  
mus promisit, adeoque de eo ipso, quod secundus obtulit,  
intelligendum est.

Effectus conditionis existentis est, rem fieri inemptam, adeo-  
que venditori cum fructibus, & accessionibus restituendam,  
empor interim ratione impensarum indemnus servandus est, de-  
nique negotium eo loco habetur, quasi prior emptio facta non  
sit, l. 16. ff. b. t. l. 4. §. 4. l. 6. eod. ex qua re, quæ sequantur  
effecta specialia ex supra dictis satis constat. Ceterum si melior  
conditio non offeratur, tum prior emptio ita subsistit, quasi  
ab initio pura facta esset.

## CAPUT QUINTUM.

DE

## LEGE COMMISSORIA.

**A**ntequam de ipsâ lege Commissoriâ dicam, de verbis hisce  
nonnulla monenda sunt. *legis* vocabulum in jure varias habet  
significationes, & potissimum significat *jus publicum*, nunc latius,  
nunc strictius, t.r. ff. & C. de leg. verum hoc loco significat pa-  
ctum emptioni adjectum, quæ significatio per Metaphoram huc  
videtur esse translata, quia, quemadmodum lex publica actio-  
nes civium vendentium & ementium coërcet, & moderatur,  
ita quoque hoc pactum modum emptioni & venditioni ponit;  
unde quoque venditio dicitur ea lege fieri, & pacta dicuntur le-  
gem huic contractui dare. l. 22. 23. 77. 78. 79. ff. de contrah. empt.  
l. 10. C. de atl. empt. & vend. & passim. Commissorium autem dici vi-  
detur hoc pactum, quia committit rem & emptionem venditori,  
utrum illam ratam, aut irritam habere velit; ut alias poena, &  
stipulatio conditionalis, & merces fisco committi dicitur. l. 8.  
& 14. ff. de publican. l. 4. & passim ff. de verb. obl. ibique Donellus.

Lex

# I N A U G U R A L I S. 23

Lex Commissoria, nihil aliud est, quam pactum venditioni adjectum, ut, non soluto certa die pretio, res inempta sit. l. 2. ff. b. t. l. 4. C. de pact. int. empt. & vend.

Emptio, quæ sub lege commissoriæ celebratur, pura est, non conditionalis, nam conditio non adjicitur ipsi emptioni, sed ejus dissolutioni. l. 1. ff. b. t. hinc sequitur, quod effectus legis commissoriæ in eo consistat, quod pendente conditione emperor rei traditæ dominus fiat, & fructus suo jure percipiat. l. 5. ff. b. t. existente vero conditione, h. e. si emptor statuto die pretium non solvat, rem una cum fructibus restituere tencatur, d. l. 5. qui fructus peti possunt non tantum actione personali ex empto vendito, l. 4. pr. ff. b. t. sed & actione reali. l. ult. ff. b. t. l. 4. C. de pact. int. empt. & vend. Huic pacto vel certa dies adjicitur, quo casu conditio existit, et si venditor emptorem non admoneat de solvendo, quia dies pro homine interpellat, l. 4. §. ult. ff. b. t. vel nulla dies adjicitur, quo casu post modicum tempus, judicis arbitrio datum, emptor constituetur in mora, arg. l. 23. infin. ff. de obl. & aet.

Cessat legis commissoriæ effectus primo, si emptor, justa causa impeditus, non solvat pretium, veluti si venditor absit, aut à fisco emptori denunciatum sit, ne solvat. l. ult. ff. b. t. secundo, si venditor à suâ parte non impleat ea, quæ ex natura contractus art conventionis implere debet. l. ult. §. 1. C. de resc. vend. tertio, si venditor beneficio legis commissoriæ renunciavit, cui beneficio renunciare potest verbis & factis: verbis enim, cum hoc palam pronunciavit; factis si statim jure suo non utatur, aut petat pretium l. 6. §. ult. ff. b. t. quia pretium non potest peti aut accipi, nisi subsistat emptio. Huic pacto interdum aliud pactum adjicitur, sc. ut, pretio dicto die non soluto, res non tantum sit inempta, sed etiam emptor, præstet, quanti minoris venditor eandem rem alteri vendiderit. l. 4. §. 3. ff. b. t. Sed hæc aliaque latius persequi præsentis non est instituti. ergo

Hic teneat nostras anchora jacta rates.

CO-

# COROLLARIA.

I.

**P**ater filio ex hereditate testamento recte dat tutorem.

II.

*Minor invitus tenetur accipere curatorem.*

III.

*Deductio in domum sponsi non est de essentia matrimonii.*

IV.

*Quarta, quæ vulgo D. Pii, est omnium bonorum arrogatoris.*

V.

*B. F. possessor ante litem contestatam consumptos & perceptos fructus qualescumque irrevocabiliter suos facit.*

VI.

*Pacta in continentis contractibus stricti juris adjecta non producunt actionem.*

VII.

*Post litem contestatam libellum licet corrigeret.*

F I N I S.